

**Scriptorum de Asclepiade index. Dissertatio inauguralis / [Karl Friedrich Burdach].**

**Contributors**

Burdach, Karl Friedrich, 1776-1847.  
Universität Leipzig (1409-1953)

**Publication/Creation**

Leipzig : C. Tauchnitz, [1800]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/y6kbs8yh>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

53053  
18

SCRIPTORVM DE ASCLEPIADE  
INDEX

---

DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVAM

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

ADAMO MICHAELE BIRKHOLO

PHILOS. ET MED. DOCTORE, ORDINIS MEDICORVM ASSESSORE,

COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM COLLEGIATO, SOCIETAT.

OECONOM. LIPSIENS. SOCIO

D. XXVII. IVNII 1800

AD

SVMOS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE HONORES

OBTINENDOS

PVBLCICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS BURDACH

LIPSIENSIS

PHIL. DOCT. LL. AA. MAG. MEDICINAE BACCALAVREVS.

---

LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.



SCHEPSTOVAM DE ASSOCIATIONE

1787

INSTITUTIONE

AD PROMOVENDAM IN OMNIBUS

ADAMO SMITHI

PHILOSOPHIAE DOCTORI

AC

DE

IN

AD

STUDIOS MEDICINAE ET NATURALIS HISTORIAE

CONSTITUTIONE

IN

AD

CAROLVS SMITHI

PHILOSOPHIAE DOCTORI

IN

AD



**P**rimum omnium atque vetustissimum artis medicae systema, si volueris historiae auxiliis eruere, et, quodsi haec te deseruerit, ratione et probabilitatis adminiculis assequi, non poteris non ex quo morbis medendis vacare coeperunt homines, repetere. Est enim ingenium humanum ita comparatum, ut ad summas indagandas rerum terrestrium causas, ac singula, quae habeat comperta, idea vniuersam rerum naturam complectente, ut communi vinculo colligenda, veluti impetu quodam abripiatur. Neque minus, cum floruerint ex quo morbis medicatum est, systemata in posterum, quamdiu medicinae honos erit et vsus, celebrabuntur. Cum igitur, ut theoriae de arte nostra, quam fieri potest amplissimae, faueamus, ipsa nos iubere videatur natura, nihil nobis erit magis curandum, ardentius nihil expetendum, quam ut aut perfectam amplectamur, aut vbi de summo quod consecuta sit fastigio, iure nostro dubitauerimus, vel hanc ipsam non minus ac aliam de rerum natura sentiendi rationem, hic illic claudicare, passim erroribus premi, probe perspicientes, „nullius addicti iurare in verba magistri,“ experientiam ingenuam candidamque in morborum medela habeamus auctorem ac ducem; dein vero, quo satis fiat desiderio isti, quod alto animo repositum nobis est, rerum



causas communes vniuersumque nexum cognoscendi, doctrinae istius initia in vsum vocemus.

Quo potiamur fine, auxilium nobis est nullum profecto praestantius, nullum potentius, quam artis historia. Ea enim in sectas „inspicere tanquam in speculum atque ex aliis sumere exempla nobis“ docet, aureamque istam, cui si vsquam, hic omnino est locus, *σκέψιν* suadendo, quaelibet industrie explorare, circumspecte comprobare nos iubet. Scilicet pericula innumera, naturam humanam penitus cognoscendi atque omnia eius phaenomena rite explicandi causa, facta, ab auctoribus miris modis exornata, nec (heu! quorsum rapit erga sobolem pietas!) sine iracundia defensa, quae non modo imperitam istam flexibilemque turbam, sed viros cum arte, tum ingenii acumine insignes, aliquandiu tenuerunt, seueriorem tum censuram experta, pro rerum humanarum opinionumque vicissitudine tandem euersa, cesserunt nouis, neque iis perfectioribus: haec inquam enarrando optime nobis suadet historia, ne nostro iudicio aut experientiae, in re tam ardua, in qua tot cecidere viri atque tanti, nimiam habeamus fidem. Systemata porro in conspectum nobis dando, ad medendi rationem emendandam nequicquam in vsum vocata; medicos laudando, qui opinionibus, quae vel minime steterint, irretiti, si modo experientia duce, neque nimium istorum commentorum habitatione, contra morbos pugnarint, summi in arte fuerint; medicinam denique, quo magis coecum insanumque sectarum studium tyrannicis legibus peritiae imperare sibi sumserit, eo



imperfectiorem fuisse atque viliorem, luce clarius docendo, bene monet nos historia, cum quae comperta habeamus, ut decet et ratione praeditos, et quorum pectori ad altiores rerum causas adscendendi nisus a natura est insitus, in disciplinae normam redigerimus, ne nimium huic tribuamus, nec, in naturae intima usque adyta iam penetrasse ridicule arbitrati, quae in rerum natura aduersentur, cognoscere spernamus, ut seruemus potius sanctissimum literarum palladium, scilicet mentis integritatem ac libertatem.

Quapropter medicos systematis cuiusdam amore aestuantes, caetera nullo dignata examine reiicientes, ad vocem naturae repugnantis aurem occludentes, ut iudicii sanitati restituantur, ad historiae medicae studium delegauerim. Ita Thrasones nostros Brunonianos, ut, cognita *Helmontii* doctrina, in eius discipulorum de hoc viro sententiam paulo diutius intueantur, rogauerim, v. c. *Martini Heer*, qui cum medicinae historiam explicuerit, haec prodit verba: <sup>1)</sup> „natus est prouidentia divina, omnia suauiter dirigente, sub maturitate temporis, quod DEVS praestituerat et reseruauerat plenissimae reuelationi doctrinae vitalis medicae, dumque finis mundi appropinquat, omnesque artes et scientiae ad apicem terminant, natus, inquam, est *Ioannes Baptista van Helmont*.“ Nonne sapiens iste, τὸ γυνῶσι σεαυτὸν commendans, aurem lectoribus istis

---

<sup>1)</sup> *Mart. Heer* introductio in tale Io. B. v. Helmont. Laubae archiuum Archei vitale et fermentum 703. 4. p. 75.



vellicabit? Ex altera autem parte, qui noua nonnisi ob nouitatem respuunt; clarissimorum medicorum, v. c. *Riolani*, *Gassendi*, *C. Hofmanni* aliorumque, qui contra *Harueii* inuentum diu πύξ και λὰξ pugnarunt, memores sint optauerim, vt sibi inculcent, „magis nos offendi iis, quae consuetudini et opinio-  
 „num familiaritati, quam quae naturae repugnent,“<sup>2)</sup> et vt cognoscant, „quantum noceat integritati et veritati scientiae  
 „medicae, radicata altius, antiquitatis auctoritate superbientia,  
 „per manus tradita, a maioribus fideliter ad posteros propagata  
 „praeiudicia.“<sup>3)</sup>

Quod quidem, antiquitatem nostro aeuo componendi genus, persuasissimum mihi habens, mira gaudere vtilitate, fructusque largiri immensos, *Asclepiadem*, Bithynum, medicum inter Romanos clarissimum, et *Ioannem Brunonem*, Scotum comparare, et quid viros hosce, nouarum sectarum principes, similitudis intercedat, libello hoc examinare apud me constitueram. Verum cum in hoc ipso negotio scribendi materies ita mihi accreuerit, vt libelli academici finibus vberiore cognoscerem, opusculum istud in duas partes abire iussi, quarum altera, ipsam parallelam sistens, lingua vernacula conscripta, paulo ante in lucem prodiit,<sup>4)</sup> altera vero quae auctorum de *Asclepiade* recensionem, ad eius vitam, artem et doctrinam rite

2) *Plutarch* orat. 1. de esu carn. ad finem.

4) *Asklepiades und John Brown. Eine Parallele.* Leipz. 1800. 8.

3) *Tralles* de vsu opii, lib. I, p. 359.



cognoscendas, summopere necessariam, exhibet, hisce pagellis sequitur.

Siquidem multa de *Asclepiade* nostra aetate conscripta reperimus, vt enim qui in omnium manibus versantur, historiae medicae auctores, *Conringium*, <sup>5)</sup> *Barchusen*, <sup>6)</sup> *Stollium*, <sup>7)</sup> *Hallerum*, <sup>8)</sup> *Goelickium*, <sup>9)</sup> *Clericum*, <sup>10)</sup> *Blumenbachium*, <sup>11)</sup> *Metzgerum*, <sup>12)</sup> *Ackermannum*, <sup>13)</sup> *Sprengelium*, <sup>14)</sup> etc. taceam, *Werlhofius*, <sup>16)</sup> vir summus, *Walchius* <sup>17)</sup> auctor doctissimus, *Bianchini* <sup>18)</sup> vt et *Bianconi*, <sup>19)</sup> scriptor elegantissimus, *Baylius* <sup>20)</sup> et nuper Clar. *Gumpertus* <sup>21)</sup> de referenda eius doctrina bene meruerunt; dubito enim adnumerare *Cochium*, <sup>22)</sup> quippe qui ab historica fide

5) *Conring* introd. in vniuers. art. med. c. III, §. 12.

6) *Barchusen* hist. med. p. 249 sq.

7) *Stollens* Hist. d. medic. Gelehrtheit. §. 36. sqq.

8) *Boerhaave* meth. studii med. p. 319. *Haller* bibl. med. pract. Tom. I. p. 140 sqq.

9) *Gölicke* hist. med. vniuers. p. 94.

10) *Le Clerc* hist. de la médecine Part. II, liv. III, chap. 4 — 9.

11) *Blumenbach* introd. in hist. lit. med. §. 57.

12) *Metzger's* Literairg. d. Medicin. §. 79.

13) *Ackermann* institutt. hist. med. §. 188. und in *Wittwers* Archiv. I. Bd. S. 36.

14) *Sprengel's* Gesch. d. A. K. I. Theil, S. 434 fgg. *Beytr. z. Gesch. d. Med.* 2s Stück. S. 76.

16) *Werlhof* de medicina sectae methodicae. Helmst. 725. 4.

17) *Walch* antiquitt. med. selectae. Ien. 772. 8. diss. II.

18) (*Bianchini*) la medicina d'Asclepiade. Venezia 8.

19) *Bianconi* Sendschreiben über den Celsus, p. 29 fgg.

20) Dictionaire hist. et crit. par *Bayle*. Article *Asclepiade*.

21) *Asclepiadis* fragmenta. Ed. *Gumpert*. Vimariae 794. 8.

22) *Cocchi* discorso sopra *Asclepiade*. Fiorenz. 758. 4.



plane recessit. Non autem diffitendum est, nonnulla interdum de *Asclepiade* prodi inuidiose dicta, vel falso intellecta, vel alienis commixta et s. p. qua de causa non inutile putavi inquirere, num scriptores de eo primarii recte iudicare cum valuerint, tum quoque ex aequo id agendi animum habuerint.

### CAPVT PRIMVM.

#### *A e u u m A s c l e p i a d i s.*

Prius quam in fidem, quam auctores de *Asclepiade* mereantur, inquirō, e re arbitror, quaedam de medici huius aetate delibare.

L. Licinius Crassus, summus aetatis suae orator, Cicerone teste, <sup>23)</sup> *Asclepiade* vsus est et medico et amico. Ciceronem enim, quem etiam in aliis dialogis, quas susceperit personas, bene sustinere, et suas quidem opiniones, neque tamen res in facto positas, ab istis alienas iis supponere, erroris, quem anachronismum nostra aetas nuncupat, insontem nouerimus, <sup>24)</sup> hic, ubi *Crassi* nomine de arte oratoria disserit, eius oblitum de sui ipsius amico loqui, existimare nulli possumus. Dein vero non est, cur eum amicitiam istam modo finxisse, arbitremur, cum enim ad istius loci neque vim augendam, neque

Luc. Lic. Crassus. Cicerone teste  
Asclepiadis amicitia et confectio  
opus est.

<sup>23)</sup> Cicero de oratore lib. I, cap. 14.

<sup>24)</sup> Cfr. Bianconi l. c. p. 31.